

Anno.
M.
2988. *Abia* hæsit paternis vitiis, nec religionem corruptam restituit: Patre tamen & sapientior & fortior; ut qui *Joroboamum* ingenti prælio ita fregit, ut bello & armis deinceps abstineret.

2991. *Asa* Regnum repurgavit à superstitione, ac ne matri *Maaca* quidem idololatræ pepercit. *Zeram* Æthiopum Regum memorabili prælio vicit, & multa præclarè gessit. Culpatur *societas* ejus cum *Benbadado* Syro, & *fiducia in Medicis*.

3031. *Josaphat* sustulit reliquias *idololatriæ*, ac missis Sacerdotibus & Levitis populum de Religione doceri curavit. *Judicia* toto regno optima constituit. *Moabitas, Ammonitas, & Idumæos* hostes conjuratos, non vi armisve, sed piis precibus & cantionibus in furorem egit, ut mutuis vulneribus conciderent. Sed peccavit illicita societate & affinitate *Achabi*, & filiorum ejus.

3056. *Joramus* uxoris focerique mores imitari maluit, quàm Patris: occidit fratres suos: invexit idola & cultum eorum stabilivit. defecerunt ab eo *Idumæi & Philistæi*. Ipse defluentibus intestinis miserè periit.

3058. *Ahasia* à Jehu cum fratribus & agnatis cæsus est.

3059. *Athalia* tyrannica mulier regnum parricidio & scelere quæsivit, & sexennium possedit: dejecta verò & interfecta à *Jojada* & populo.

3065. *Joas* subtractus cædi, & clam educatus, regno septennis inauguratur. Rex pius & felix,